ORATIO

DE

RELIGIONIS CHRISTIANAE

EFFICACITATE IN BELLUM,

CUM PLANE SINGULARI, TUM MAXIME SALUTARI,

QUAM HABUIT

DIE VIII FEBRUARII MDCCCXXXII.

WESSELIUS ALBERTUS VAN HENGEL,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.

Lugduni Batavorum,

APUD S. ET J. LUCHTMANS,

ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.

1832.

O R A T I O

D E

RELIGIONIS CHRISTIANAE EFFICACITATE IN BELLUM, CUM PLANE SINGULARI, TUM MAXIME SALUTARI.

Etiamsi, Auditores humanissimi! nec more majorum institutum, nec legis auctoritate sancitum esset, ut quotannis oratione habenda Academiae magistratus deponeretur; me tamen hodie, priusquam Rectoris munus successori meo traderem, vehementer animus ad dicendum impelleret. Quo quidem nemo vestrum erit, qui rerum Academicarum mutationes significari putet: siquidem probe sciunt omnes, me paucis complecti posse, quae hoc nomine commemoranda videantur. Nec me facile quis ita intellexerit, ac si eorum, quae a civibus nostris in bello gesta sunt, narrator vobis esse cupiam: ni forte idem ille mihi auctor sit, ut repetendis, quae cum alii, tum collegae duo honoratissimi jam bene et copiose exposuerint, huic doctissimorum hominum coronae audiendi creem fastidium. Sed hujus tamen belli negotia, cum quotidie ante oculos mihi obversarentur, ecce! certam quandam, quâ totus deinceps occuparer, mihi cogitationem pepererunt. Cujus argumentum cum haud plane novum quidem, sed gravissimum tamen, et vero tam temporis conditioni, quam muneris mei rationi consentaneum esse viderem; hunc diem solennem ejus tractationi destinare nullus dubitavi. Atque nunc illud lubenter aggrediar, si spem vobis fecero fore, ut vos in locum ducere velim, non abstrusum et Theologorum proprium, sed conspicuum omnique homini cultiori et expolitiori patentem. Dicam igitur *de Religionis Christianae efficacitate in bellum, cum plane singulari, tum maxime salutari* Probare autem conabor, Religionem illam belli, et amorem arcere, et atrocitatem lenire, et flammam denique exstinguere. Quae tria si vobis revera probavero, jucundissimum mihi erit conscientiae testimonium,

 me

me causae CHRISTI, cujus tuendae provinciam mihi demandatam honori duco, lucem aliquam et nitorem attulisse. Sin propositum minus ex voto assecutus ero, vos, A. A! de rei ipsius gravitate nihil detrahentes, in me, qui onus susceperim viribus superius, in me, rogo et obsecro, culpam convertatis!

Si cui vestrum fortasse, A. A! de Religionis Christianae efficacitate in bellum dicturus, atque hanc *belli amorem arcere* ostensurus, lubricum in locum me conjecisse videar; hoc certe mihi comparavi, ne definiendi negotio impeditus, ipso jam in orationis ingressu et tanquam vestibulo haeream. Belli enim, quotusquisque est, qui definitionem quaerat, modo nomen ejus fando audiverit? Nos vero illud, pars, ipsi vidimus oculis, ceteri tantum a spectatoribus accepimus, ut ad horridam ejus imaginem nobis proponendam nulla indigeamus contemplatione. Nos, juvenes an senes, omnes perinde monstrum novimus durum, saevum, exsecrabile, *Stygio* velut ex gurgite emersum, atque hanc in terram ejectum, ut miseris mortalibus cladem exitialem afferret. Nimirum nullum inter homines bellum, ut POLYBIUS ait, sine malitia oritur, sed nunc libidinum, nunc auri, nunc gloriae vel dominationis vana et insana cupiditate contrahitur. Itaque certo certius est, leges, humanas dixerim an divinas? ubi in arma ruant populi, ab alterutra saltem parte jam violatas esse. Quid memorem campi, ubi suum in genus crudelior, quam leones trigidesque, homo est, indignissimum spectaculum? Quid *Martis* rabiem, omnia caedibus, incendiis, rapinis vastantem? Quid fletus denique et lamentationes insontium, senum, mulierum, puerorum, quibus una cum eo, quod sibi hac in terra carissimum erat, ipsius vitae fere lux erepta est? O quam penitus naturam excussisse oportet, qui primus bellum finitimis conflavit! Quae quidem judicandi severitas nostra non est, sed omnibus communis omnium populorum hominibus, quotquot sensu quodam humanitatis ducuntur. Neque aliud quid sibi voluit vetusta , cum auream aetatem interiisse, gentemque pacis et concordiae inimicam atque a stirpis suae virtute degeneratam exstitisse doleret.

Sed eadem illa vetustas, quae meliora probabat, deteriora secuta est. Nam

Nam si tempora nobis proponimus, quae CHRISTI adventum praecesserunt, tam assidui homines in armis fuere, ut sidera coeli facilius numeraveris quam bella. Deinde vero tantum aberat, ut populorum legibus, moribus, institutis arcerentur bella, ut iis summopere commoverentur, aut, si confecta erant, renovarentur et alerentur. *Assyrios* mitto, *Babylonios*, *Persas*, alios quoslibet Orientales, qui ad nationes exteras adoriendas et durissimo jugo subigendas feroci domino ac tyranno serviebant. Mitto quos agitabat inveterata barbaries, ut ferarum instar vagi per agros, silvas et solitudines palarentur, usquequaque praedantes, donec alicubi certam sibi sedem figerent: *Gallos*, *Cimbros*, *Teutones*, similemque ex *Asia* erumpentem colluvionem. *Graecos* dico et *Romanos*, quorum civitates tanquam exempla, in quae omnis intueatur posteritas, insigniter laudare solemus. Ad hos igitur vix oculos convertimus, quum statim acerbo offendimur odio, quo et in extraneos qualescunque feruntur et ad gentes vicinas et remotiores hostiliter tractandas impelluntur. Quod ut animó a teneris inde imbibunt unguiculis; ita educatio feminis quidem exigua vel nulla est: quae maribus datur, id unum maximopere agit, ut viri fiant robusti, validi, ad certamen et proelium exercitati. Neque hoc tantum in usu esse videmus *Spartae*, ubi scelesta *Helotum* interfectione juventus ad caedem instituitur, litterisque bonis ac disciplinis aditus occluditur; sed doctis *Athenis*, sed *Romae* urbanitate sua superbae, sed in locis quibuslibet, huic utrique civitati dominatrici subjectis. Quid? quod ludis et spectaculis animi, supra quam dici potest, ad saevitiam inflammantur. Philosophi, praeter quos fere nemo est, qui ingenia ad humanitatem erudiat, et pauciores sunt, et in scholis sibi condendis intentiores, quam ut eorum ex disciplina multum emolumenti in commune redundare possit. Et quotquot eorum fortitudinem in quatuor illis virtutibus ponunt, quarum observatione quis perfectionis culmen attingat, animadvertite, A A! quantopere hoc suo placito vitae militari facem praeferant! Accedit antiqua superstitio, *Martem* aliosque Deos, et secum mutuo, et cum hominibus belligerantes, ad imitationem inducens. Tum porro ea civitatis, praesertim Romanae, natura et indoles, ut stare nequeat, nisi continua bellorum serie tanquam sustentaculo confirmetur. Et ne quid momenti ad animos efferandos desit, ipsa quoque *virtutis* appellatio, tam in *Graeco* quam in *Latino* sermone, illud maxime bonum

appetere jubet, quo quis, fortitudine sua in armis praestanda, praesidio suis, alienis terrori esse reperiatur.

Atque ita luculentur patet, quae apud veteres cumprimis in honore et veneratione essent, bello mirifice favisse. Quid vero CHRISTUS ejusque *Apostoli*, cum *Judaeos* et gentes exteras docebant? Equidem me nullum, ubi populos secum mutuo pugnantes diserte reprehenderint, in Litteris Sacris locum invenire memini. Quod ne quis miretur, animadvertendum est, disciplinam eorum omnino fuisse moralem, quae officia sua hominibus proponeret privatis, a rebus publicis judicandis sibi studiose caveret. Sed hinc tamen non sequitur, eos hostili illi ardori, quo civitates flagrarent, indulsisse. Multo minus probanda videtur sedulitas GROTII aliorumque virorum eximiorum, qui ex *Novi Testamenti* scriptis locorum, unde Religionem Christianam bello non repugnare efficerent, magnam congessere copiam. Immo ejusmodi ingenii haec Religio est, ut ipsum bellum ne verbo quidem tangat, sed belli tamen amori se vehementer opponat. Nimirum auctor ejus, ut ostendit nobis REINHARDUS, nihil magis quam omnes homines in pacem et concordiam redigere et arctissimo caritatis tanquam vinculo conjungere voluit. Quod institutum, ut nemini mortalium antea in mentem venerat, ita huc omnia spectant monita et praecepta, quae aut ipse edidit aut cum sectatoribus suis communicavit per *Apostolos*. Haec igitur doctrina, cum eandem generis humani originem ab uno eodemque Deo et Patre potentissimo atque benignissimo repetat, iniquo illi partium occurrit studio, seu, ut vulgo dicitur, *Particularismo*, cui omnes veterum religiones servierunt, singulae gentibus sibi addictis fastum et superbiam inspirantes. Deinde neminem vere Christianum esse posse asseverat, nisi caritatem Dei, quo in uno omnium officiorum caput cernatur, caritate hominum tam inimicorum quam amicorum patefaciat. Quibus duobus, ad belli studia ex animis evellenda jam egregie comparatis, accedit tertium, hanc unam pietatem et virtutem Christiani nominis esse, quae ex mente integra scelerisque pura proficiscatur. Quemadmodum autem doctrina illa hoc sibi proprium habet, ut ad odium, invidiam, vindictae cupiditatem aliasque pravas affectiones animis exstirpandas divina auctoritate utatur; sic misericordiam, clementiam, lenitatem erga peccantes, injuriarum oblivionem, ipsius Dei exemplo, ubique commendat. Nondum

dum dixi de spe beatitatis post mortem aeternae, quam cum divinitus omnibus faciat bonis et animo moderari assuetis, vehementer eos avertit a quibusvis audendis, ut hac brevi in vita famam, gloriam, prosperitatem, qualicunque tandem modo, assequantur. Sed cur vobiscum loca percurro notissima? Acquiescamus in ARNOBII dicto: *si omnes homines huic doctrinae aurem commodare vellent, jam diu fore, ut orbis terrarum mollissima in tranquillitate degeret!*

At occurrere video, qui hanc Religionis Christianae praestantiam lubenter mihi concedant, ejus vero efficacitatem ad belli amorem arcendum non item. Et mirandum profecto non est, si gentes ferae, quae, postquam sacramento fidem suam CHRISTO obstrinxerant, Occidentem ferro invaserunt et ditioni suae subjecerunt, *Vandali*, *Suevi*, *Gothi*, *Franci* nobis excitantur. Neque injuste memoria renovabitur audaciae, qua haud raro imperatores, reges, sacrorum antistites, ad gloriam Dei, ut jactabant, amplificandam, pacis foedera ruperunt. Quis enim haec et similia insignem turpitudinis labem sustinere negaverit? Quis adeo ignorat, ad gentes in regnum CHRISTI veluti pecudes in stabulum cogendas, et, quae cogi nollent, sedibus expellendas vel prorsus delendas, ingentia conflata bella esse? Ne exercitus dicam comparatos esse, ut, unius ejusdemque CHRISTI sectatoribus, Pontificis Romani causa, necandis et trucidandis, sua quasi viscera discerperent. Sed qui talia urgent, absit, ut rei honestissimae defensori labyrinthum struant, unde sine quodam ARIADNES filo nequeat evadere! Nonne per longam seculorum seriem gentes, quae Christianae vocabantur, pro luce divinitus allata tenuem habuerunt et inanem umbram? Nonne rudis et agrestis vitae consuetudo tantum callum obduxerat animis, ut ne doctrinae melioris vis quidem in eos penetrare spiritusque feroces domare posset? Et vetus erat opinio, quae LUTHERO etiam, CALVINO aliisque sacrorum emendatoribus fraudem fecit, homines, *Haereticorum* crimine notatos, vel capitis supplicio plectendos esse. Ceterum Religionem Christianam ne sic quidem omni ad arcendum belli amorem caruisse efficacitate, persuasum nobis erit, si animadverterimus, quantum feritatis illa gentibus, quae imperii Romani provincias sibi expugnassent, paulatim excusserit. Feritate enim excussa animos, et paci studere novimus, et revera studuisse intelligimus ex iis, quae de *Burgondionibus*, *Alemannis*, quin et *Gothis*

this aliisque veri nobis testantur auctores. Sed plura et salubriora haec Religio efficere incepit ab eo inde tempore, quo Providentiae Divinae cura contigit, ut tenebris, quibus diu involuta jacuisset, dispersis, lucem suum et vigorem recuperaret.

Fateor, A. A! novissimos docere dies, quam facile adhuc populi CHRISTO dicati se a pacis studio averti patiantur. At qui avertunt eos, bene considerandum est, utrum homines sint doctrinae vere divinae initiati atque devoti, an praestigiatores, qui, ut ipsi per licentiam aut superstitionem in civitatibus regnare conantur, ita falso quodam libertatis vel pietatis simulacro oculis ostentando multitudinem credulam decipiunt. Ab altera vero parte doctrinae illi ad regum principumque aulas nondum satis patet aditus, ut omnes, gravissimis ejus praeceptis instructi, se populorum tanquam pastores gerant sibique diligenter caveant, ne irritabili vulgo causa rebellionis praebeatur. Utique Religionem Christianam, si justum ei ubique pretium statueretur, factiones et seditiones horum temporum, quae bellorum semina sunt, cohibituram esse, ex eventu jam perspicue apparet. Nam pristino *Europae* statu cum praesenti comparato, nemo fluctuabit in quaestione, uter temperatior et pacatior sit. Ubinam, quaeso, his in regionibus exstat populus, veterum *Romanorum* similis, qui intra septingentos et quod superat annos tam raro stabilem habuere pacem, ut JANI templum haud saepius quam ter et brevissime quidem clauderetur? Ubinam nunc, ut olim in bello *Helvetico*, apud *Catelaunum* et alibi, committitur proelium, quo in uno haud infra ducenta et quinquaginta hominum millia occidantur et vel gentes integrae prope ad internecionem deleantur? Ubinam denique superstitio, suum illud *compelle intrare* impudenter in ore ferens, civitates ad arma vocat, ut regnantis fraudis et vitiositatis reprehensores ad saevum illud *Inquisitionis* trahantur tribunal, cujus atrocitas ne post medii aevi exitum sanguini innocenti pepercerit? Haec autem beneficia et hujusmodi plura, quorum recordatione, hoc turbulento tempore, tristitiam animi temperamus, Religioni vere Christianae debentur. Atque hinc intelligi potest, quam longe ea *Muhammedanorum* aliorumque populorum praestet religionibus, et vero sacris *Indorum* legibus, mollissimis pecori, homini iniquissimis!

Jam si Religio Christiana arcendo belli amore efficacitatem ostendit, et pla-

plane singularem, et maxime salutarem; multo magis haec se conspicuam facit *atrocitate belli lenienda.* Quod ut in oculos incurrat, commemorare nolo dira illa et nefanda, quae antiquiore tempore CAMBYSES et XERXES, recentius GENGIS-KAN et TAMERLAN similesque populorum oppressores militari manu patrasse feruntur. Neque epulis gentium, omnis humanitatis expertium, quae, sicut *Novo-Zelandi*, captivorum carnem sibi parant et dentibus devorant, hunc in locum inducendis vobis molestus esse volo. Sed breviter tantum recensere lubet, quae olim in *Europae* regionibus, cum ceteris, tum litterarum luce maxime excultis, quoties bella gerebantur, frequentata vel vulgo iis usitata fuerunt.

Verum enim vero haec, A. A! quis est in vobis, qui sine indignatione sibi repraesentare possit? Praedatorum more sibi arma induere, alienas in terras invadere, tum in possessiones publicas et privatas pro lubitu grassari, domos, urbes, fana depeculari! Victoria reportata, hostium caesorum cadavera fraudare humo, canibusque et vulturibus objicere! Dedititiorum sanguine et caede se contaminare! Captivos duriter tractare, ceu pecora inter se dividere, in servitutem redigere, vinctis manibus ante currum ducere triumphalem, tum vero occidere! Haud exiguam partem in custodias includere usque ad ludorum diem, quo ad populum delectandum a se mutuo trucidentur, aut bestiarum dentibus dilanientur! Neque viros tantum armis subactos validamve pubem malorum cumulo affligere, sed imbellem et imbecillam turbam, senes, mulieres, pueros, infantes! Vias atque aedes, limina atque cubicula cruore et strage polluere! Universam gentem sub hasta vendere, sedibus expellere, funditus delere! Verbo haec singula, ut pro vobis, judicibus rerum scientissimis, attigisse sufficiet. Sed ne quis putet, quaeso, me *Hunnos* solum, aut *Herulos*, aut simile notare genus! Immo et *Graecos* volo, et *Romanos*, et *Romanorum* duces et imperatores, humanitatis laude cumprimis celebratos. PAULLUM volo AEMILIUM, PUBLIUM SCIPIONEM *Africanum*, TITUM, *generis humani amorem et delicias.* Quos cum nominatim appellem, ecce! urbium *Epiri*, *Carthaginis*, *Hierosolymorum* ruinae in lucem denuo prodire, ipsorumque civium miserorum manes umbrarum ex domibus exsurgere mihi videntur, ut suo quisque funesto in casu victoris atrocitatem commonstrent. Sed recipite vos, o Manes! recipite quietem, quam

post

post fatalem diem adepti estis! Nobis posteris auctores, qui vitae muneribus fungebantur, de vestris aliarumque civitatum calamitatibus et aerumnis tradidere tantum, ut plane nesciamus, utrum satius sit, antiquitatis sortem lugere, an his temporibus meliorem suam fortunam gratulari.

Sed his temporibus gratulans non is sum, A. A! qui omnem bello atrocitatem exemtam esse contendam. Quod neutiquam certe ad istos *Europae* populos, qui in magna rerum humanarum et divinarum ignorantia versantur, *Italos*, *Hispanos*, *Portugalos* aliosque pertinet. Quin tantum abest, ut hac culpa vacent, qui regiones incolunt litteris et doctrinis magis illustratas, ut haud pauci eorum grande, ut AUGUSTINUS ait, latrocinium variique generis piacula committant. Referre pudet sermones a longo jam tempore de nostratibus maxime habitos et exteras per oras dispersos et disseminatos. Sed vestram, Juvenes Generosi! qui cum iis in bello fuistis et multa nefaria vidistis, vestram testor fidem, quae nobis declaret, haecne omnia talia fuerint, ut cum veterum atrocitate comparari possint. Quod cum a vobis negari sciam; vox illa vestra cum voce quorumvis bonorum, graviora et diuturniora bella expertorum, notabile est, quam amice ad hujus aetatis laudationem conspiret. Sit ea hominis ad vitia proclivitas, ut in rebus tumultuariis se ipsa mens non semper possideat seque ad aequabilitatem et mansuetudinem regat. Huic proclivitati doctrinarum divinarum accedat inscitia, in regionibus etiam CHRISTI luce conspicuis multitudini usque adhaerescens animosque leves motibus suis et cupiditatibus relinquens. Et male audiant nostrates, quoniam, militia hic in contemtionem adducta, nulli fere apud nos stipendia meruere, nisi mercenarii aliunde conducti, aut vel infimae plebis, vel vitae dissolutae, et, ut usurpem, quod CAESAR de *Gallis* dicit VIRIDOVICEM secutis, *perditi homines, quos spes praedandi studiumque bellandi ab agricultura et quotidiano labore revocabat.* Sed in novissima rerum publicarum difficultate caritas patriae viros etiam et juvenes armavit, quos maculae susceptae partem jam eluisse constat; partem, si voluerint fata, ut iterum in aciem descendatur, eluturos esse confidimus. Tum ex eo quoque, quod nostra memoria vastationes et caedes promiscuae per *Europam* multo rariores fuerunt quam antea, haud dubie sequitur, mitiora nos attigisse tempora. Sumamus vero, militi praesertim gregario nondum ita luce-

re

re honestatem, ut atrocitate se inquinare desinat; vel sic tamen, populos hostiles crudeliter tractandos esse, non amplius hominum fere communis est opinio, cui ille urendo et secando serviat, sed omnes, dummodo ne plane bruti aut scelesti sint, illud una voce detestantur. Duces autem et praefecti, ut licentiam constanter imperii severitate coërcent, sic gravius quodque maleficium plerumque insectantur poena. Aut si quibus animus ad humanitatis sensum durior est, tale tantumque innocentiae tuendae studium in aliis cernunt, ut ipsi in militum flagitiis connivere erubescant. Quae cum ita sint, bellum hodie, quamvis plus uno nomine calamitosum est, non amplius tamen gentibus idem illud exitium affert insuperabile, ac pristinis temporibus, quibus moderatus victoriae usus, miraculi instar, omnium in ore et sermone erat, populosque devictos adeo suspensos tenebat, ut vel, virgine *Celtibera* gratuito manumissa, SCIPIONEM, beneficii auctorem, Deos immortales aequiparare judicarent.

Fallor igitur, A. A! aut satis evidenter demonstravi, atrocitatem belli lenitam esse. At scrupulum, vereor, ne vestrum non nemini injiciam, si illud singulari et salutari Religionis Christianae efficacitati tribuo. Tune adeo, inquit, medii istius aevi ignarus es, quo quam nefanda ab iis, qui se CHRISTI causa in armis esse ajebant, impune patrata sint, vel commemorare piget? CAROLUM illum magnum innumerabiles *Saxones*, everso solo, cum uxoribus et liberis confecisse, donec manus viresque ad libertatem defendendam non amplius suppeterent. Simili fere modo ab OTTONE in *Danos*, ab equitibus *Teutonicis* in *Borussos* saevitum esse. Milites cruce signatos, quorum agmina incomposita magnam *Europae* et *Asiae* partem pervagabantur, omnia vastasse et desolasse, imperii *Byzantini* caput, *Constantinopolin*, cruore, stupro, rapina, incendiis miscuisse, nominique suo tam parum saepe consuluisse, ut, *Turcarum* instar, hostibus oculos effoderent, vel aures et nasum abscinderent. Praeterea injuriis, contûmeliis, cruciatibus intolerabiles fuisse, qui *Valdenses* et *Albigenses* ferro peterent, aut cum *Hussitis* bella gererent, aut *Mauros* impetu facto expellerent *Hispania*, aut vili praeëunte subulco, trajecto mari, *Peruvianas* in opes hiarent, aut hoc in solo patrio, postquam simultas ducentorum fere annorum tandem deposita erat, majores nostros

 gla-

gladiis et tormentis adorirentur, *Albani* ducis, et vestigiis insistentes, et crudelitati servientes. Quid vero, medii jam aevi spatium transgressus, malorum seriem ulterius persequar? Satis superque vobis explicui me nihil quidquam callide occultare velle. Ceterum disputandi gratia mihi facta est, si de eo, quod supra mihi probasse videor, vos mecum consentientes habeo: Religionem nempe, quam homines atroces Christianam dicerent, tam fuisse depravatam, ut efficacitatem suam, prout oportebat, praestare non posset: humanitati vero deinceps sua jura restituta esse, quo magis Religio illa a sordibus, quas fraus et superstitio ei adjecissent, purgaretur et illustraretur.

Atqui hoc ipsum, videte A. A! quanti ad causam CHRISTI tuendam valeat! Nam si CHRISTI virtute factum esse negaveris, ut belli atrocitas leniretur; unde tandem beneficium illud repetendum videbitur? Ex Philosophia, ais, ex Philosophia et Litteris. Audio, et si haec tibi mens est, eas Religioni, ut emendarentur mores, praeivisse, tum ad negotium illud in paucis molestum opem haud spernendam attulisse, sententiam tuam valde probo. Profecto laudibus meis ampliora sunt, quae, ut aliis in rebus, sic hac in parte, de genere humano meruerunt Philosophia et Litterae. Sed grati animi non est plura iis adscribere, quam sibi reapse postulant. Quid? illaene jam olim ante *Romae* portas durum ALARICI pectus ab evertenda urbe cohibuerunt; aut LEONI *Pontifici* ad *Hunnorum* intractabile genus placandum vim et vocem dederunt; an vero lucis divinioris scintilla, ex tenebris emicans atque in animos penetrans? Illaene postea cultores nominis sui a sanguine hominum, qui communes errores rejecerant, avendo et sitiendo deterruerunt, an insano suo furori adeo reliquerunt, ut stragem cruentissimam, quae BARTHOLOMAEI nocte *Parisiis* edita est, cum oratore eloquentissimo, MURETO, magnificis praeconiis efferre possent? Vel an illae denique se unquam populo vitae praestitere duces, quae in locis, tam abditis et obscuris, quam conspicuis, domos intrarent, ibi habitarent, atque hinc militibus comitarentur in castra, ut animis, flagrante bello, cum ratiocinationi vacar non posset, sine voce divina, ad atrocitatem leniendam flecterent?

Itaque nihil aliud nobis restat, quam ut hoc beneficium, vel maximam ejus partem ex Religione Christiana, utpote foecundissimo derivemus fonte, qui cujusvis loci, ordinis et conditionis civibus pateat. Quotquot hunc ad fontem

ac-

accedunt, et multo plures indoctos quam doctos esse novimus, cum omnis veri, recti et honesti studio, reverentiam imbibunt hominis et vero iniquitatis pudorem. Huc pueri a parentibus adducti, priusquam prima Philosophiae et Literarum rudimenta attigerunt, mansuetudinis et clementiae sensibus jam imbuuntur. Hinc ipsi, quo magis procedunt aetate, eo largius, aliis propinantibus, hauriunt, haustibusque illis adsuescunt ita, ut, adolescentes facti, ultro et lubenter petant quod ad vitae, cum civilis, tum militaris probitatem conducibile est. Vel si juvenilis ingenii levitas, horum haustuum fastidio, se surripiens, vitiorum in gurgitem ruit ibique cupiditates suas ad satietatem explet, post multos tamen annos superest in animo, quo illi, nunc desiderium sui renovent, nunc immemori ad gravioris peccati fugam tectas et occultas impulsiones adhibeant. Sed ita comparatus hic divinae doctrinae fons est ut pluvialis aqua, cujus humore madefactae plantae assidue quidem crescunt, at quomodo incrementa capiant, nemo ullus digito monstraverit. Ita comparatus est ut salubres Medicorum liquores, quorum vim optatam aegroti, etiamsi praesentia eorum nullo corporis sensu deprehendatur, ex continua tamen sanitatis restitutione intelligunt. Pariter nempe ille efficacitate sua, haud secus in bello, quam in pace, ad humanitatem alendam conducit. In venas quidem et viscera non penetrat, sed in arcanos animorum recessus. Meliorem corpori non praebet succum et sanguinem, sed hominis integri emendat indolem et vitam. Recti honestique consilia, desideria, studia, etiamsi mens ipsa illud ignoret, mirum in modum corroborat et confirmat. In pacata non solum civitate, ut ARCHYTAE *Tarentini* ratio, a CICERONE nobilitata, sed medio in bello irae et vindictae furori medicinam affert. Et si quis miles vere Christianus fervoris sui fraude ad atrocitatem incitatur, hunc in officio nutantem non deserit, sed velociter ei ubertate sua succurrit: succurrit, inquam, vel illo ipso CHRISTI, quo jam Romanus homo, ALEXANDER SEVERUS, nihil divinius ex ore emanasse censuit, in mentem ejus reducendo: *quod tibi vis ut fiat, facias et alteri!*

Nunc vero nemo vestrum, A. A! mirabitur, si Religionis Christianae efficacitatem in *belli* etiam *flamma exstinguenda* singularem et salutarem esse dixero. Sed ne causa inchoata relinquatur, aut quid praetermittatur, quod

ante dictis tanquam stabilimento sit, videamus, quomodo Religio illa hoc in difficili negotio versetur!

Nimirum Philosophos fuisse novimus, eosdemque viros gravissimos, qui pacis aeternae et cogitationem conciperent animo, et rationem atque viam exponerent: GROTIUM, LEIBNITSIUM, KANTIUM, BERNHARDINUM etiam *de sancto Petro*, alios. Num CHRISTUS ejusque *Apostoli* aequalibus suis praedixerint fore, ut tandem aliquando advenirent tempora, quibus mutua omnium populorum concordia non amplius in votis haberetur, magnae litis et disceptationis est. Sed ita certe se nunc habet rerum facies, ut aegre ac difficulter crediderim, beatissima haec tempora prope instare. At vero si rogor, an Religio Christiana ad pacem generi humano quantocyus afferendam tendat, praesto mihi est, quod ad laudem ejus respondeam. Nam ut ejus doctrina injustis belli causis et principiis obstat; sic in vitia, quae ad bellum ultra necessitatem trahendum incitant, acerrime invehitur. Caecam dico et insatiabilem aviditatem gloriae; minuti, ut ille ait, infirmique et exigui animi voluptatem, quae ex injuriarum ultione capitur; avaritiam, quo sibi plura praeter jus et fas corraserit, eo cupidius in alia ruentem; appetitionem porro imperii sui, si minus ab *Istro* ad fretum *Gaditanum*, at latius tamen identidem extendendi; metuentem denique, ne forte milites maturius redeuntes conspirent jugumque odiosum excutiant, tyrannidis conscientiam. Quae cuncta quidem an damnaverit disciplina veterum illorum, qui bellum, modo civitati utile esset, cum AGESILAO probarent, vobis, A. A! judicibus relinquo: CHRISTI disciplinam, quae nil nisi honestum ferat, nullam eorum partem non damnare, jam pueri edòcti sumus. Nec pacis tantum pactioni operatur his vitiis occurrendo, sed etiam bonorum, quae sine pace jacere aut sordere solent, desiderio sectatoribus suis inculcando. Religio enim Christiana, ut inertiam illam, in qua haud paucae gentes vitam degunt, omnino improbat; ita hominem unumquemque ad laborem quotidianum exhortatur. Laborem autem singulos in eo ponere jubet, quo societati prosint universae. Huic igitur jusso ut obediat quisque, prout natura factus et formatus est; alii in severioribus habitant disciplinis, alii in artibus liberalibus, alii se dedunt agriculturae, mercaturae, operibus fabrilibus, textilibus et quae plura sunt.

At-

Atque haec nusquam tam bene ac diligenter tractantur, quam ubi Religio Christiana floret vigetque. At vero quot quantisque difficultatibus pleraque hujus vitae munera implicantur bello! Et quo longius bellum ducitur, eo latius serpunt incommoda, quae res humanae ab eo patiuntur! Neminem autem paulo intelligentiorem morabitur quod vulgo dicunt, terrarum orbi, si omnes ejus populi perpetua in pace essent, hominum multitudinem brevi onerosam fore. Nam rem eo nondum recidisse opinor, ut simul ac genus humanum se ipsum extenuare nolit, divinae desit Providentiae, unde sedem singulis victumque praebeat. Ceterum nimia illa, qua offendimur, sobolis propagatio in nonnullis tantum cernitur Europae partibus: sed hic facile allevabitur onus, si in regiones adhuc incultas mittuntur coloniae, quae, quam multa secula ibi locum inventurae sint, quis nostrum praesagire ausit? Recte igitur et sapienter Religio Christiana, ut auctoritate sua homines ad sedulitatem et solertiam impellit, ita universis populis mentem injicit, quae sibi pacem avide exoptet. Atque hanc si pacem universus populus sibi avide exoptat, tentabit omnia ad belli flammam quam primum exstinguendam.

Verum haec tamen, secundum CHRISTI doctrinam, non alio tentabuntur consilio, quam ut pax constituatur honesta, firma, civitatis saluti accommodata. Vel an populum Christianum putatis, ne diutius in armis sit, dura et indigna quaevis toleranter ferre debere? An belli exstinguendi causa oppressorum jugo collum submittere et veluti humi repere oportet, donec pedibus conculcetur? An et sentiendi et loquendi libertatem, artium et disciplinarum florem, omnem humanitatis progressum, res ipsas Sacras et Divinas, quo dulce scilicet audiatur pacis nomen, susque deque habere? Ut plausum tandem mereatur maledictum BAELII, *civitatem hominum, qui vere Christiani sint, stare non posse!* O levitatem Philosophorum, qui privata officia cum publicis temere confundunt! Iterum, si necesse est, Religionem Christianam belli adversariam, pacis vero quasi matrem et nutricem esse dicimus. Sed si quis populus alteri sine causa manus intentare aut perniciem parare pergit, examinemus, age, quomodo ad leges ejus pacificationi consulendum sit? Injurias humiliter ferendo an viriliter iis resistendo? Minarum ferocium timore an contemtione?

ne? Hostibus cedendo, quidquid pravi moliantur, an omnes vires intendendo, ne malitia eorum civitatis salutem prorsus evertat? Fingamus nobis ipsam hanc Religionem ad quaestiones illas respondentem populo, officiorum suorum immemori! Quid est illud, ait, O Viri meliore mente divinitus imbuti! quid est illud, quod patriam, quod prolem, quod omne bonum commune hostium lasciviae relinquatis? Siccine vos pacem colere opinamini, cum ignavia vestra servitutem vobis contrahatis haud secus animo quam corpori nocituram? An officio caritatis adversariorum, causa, quae vobis multo carior esse debet, negligenda satisfacere vobis videmini? Immo quod honestum, justum et aequum est, dum per vires licet, firmiter tueri; hostes, qui illud invadunt, strenue repellere; in armis manere, quamdiu illud Respublica suadet, hoc demum rebus in afflictis populi vere Christiani est. Vos igitur, quotquot vitam vobis quietam optatis et tranquillam, et omnis pietatis et honestatis plenam, vos, inquam, ni vanis precibus et supplicationibus Deum adire velitis, dextris succurrite ad arcendos, qui civitatem perturbare cupiant! Belli flammam exstinguite retinenda scelesta manu, quae ignem ei identidem subjicit! Summis quibusvis in periculis estote fortes, nec hominum timentes, qui nihil aliud occidere possunt quam corpus hocce fragile et mortale! Fortes estote, fiducia collocata in Deo, Patre vobis benignissimo, qui ne vel capillum capitis vobis frustra auferri patietur, et vero spe posita in vitae beatae praemiis, omni bono destinatis, qui meo nomine fortiter occubuerit! CHRISTUM denique, ut crucis supplicium ad generis humani salutem susceperit, CHRISTUM intuemini, neque vos unquam, ad incomparabile illud exemplum, pro vero, recto et honesto, quae ipsius causa est, devovere veremini!

Religionem ipsam induxi, A. A! quae nobis fortitudinis ab ejus sectatoribus in bello praestandae et incitamenta et adjumenta exponeret. Quantum autem doctrina ejus ad animos corroborandos valeat, testem nobis habemus historiam: nisi quibusdam forte nugatoribus credendum sit, qui eam et universae civitati languorem indidisse, et singulorum hominum ingenia ad mollitiem adeo convertisse contendunt, ut bello saepe praeferrent servitutem turpissimam. Nugatores dico: quid enim est illud, quo accusationem suam adornent? Bellicosas non amplius in *Europa* cerni gentes, quales Romano-

norum imperium attrivisse et fregisse accepimus? Atqui hoc ipsum coeleste nobis beneficium est, quod his terris summopere gratulamur. Aut vitam militarem Monachorum inertia in vituperationem incurrisse? Atqui ut hanc culpam non ipsa divina fert Religio, sed coeca superstitio; ita sanequam praeclare actum esset cum *Europae* populis, si, defensione patriae unis civibus mandata, nulli vel perpauci forent homines, qui vitam in armis consumerent. Nam cum alii populi aliis multum praevaleant, potestatis, quam vulgo urgent, aequilibritas sustentandis armatorum copiis potius labefactatur, quam conservatur. Quod autem vetustissimis CHRISTI objicitur sectatoribus, eos a belli munere prorsus abhorruisse, prima fronte nobis difficilius est. Sed quamvis haud inficior, plurimos inter eos fuisse, qui, ad militiam vocati, nomen profiteri nollent; plerique tamen illud recusarunt, ne ad jusjurandum sibi detestabile adigerentur, pauciores, ne bello gerendo fidem frangerent. Et tanta multitudo hoc civis officio functa est, ut suo tempore Romanis dicere posset TERTULLIANUS: *vobiscum militamur*. Quam egregia autem Christiani illi homines in carceribus, spectaculis, rogis, et quorumcumque malorum cumulo premebantur, firmi intrepidique animi documenta dederunt! Quantam constantiam et perseverantiam postea et per multas aetates ostenderunt, qui bonis exui, tormentis cruciari, capite plecti malebant, quam committere, quod oneraret conscientiam! Cujusmodi viros magnanimos, si regiones exterae ad ubertatem protulerunt, haec patria nostra suum quoque habuit PISTORIUM, et MERULAM, et vero BEILINGIUM, et HAMBROEKIUM, et alios, nulli REGULO DECIOVE cedentes. Sed quid in his moror? Lucent et aeternum lucebunt GUSTAVI ADOLPHI, MICHAËLIS RUTERI, GEORGII WASHINGTONI, qui ad belli flammam, non alendam, sed extinguendam, exercitus classesve sine metu et macula duxerunt, magna et immortalia nomina. Lucebunt posteris, quamdiu honestati pudor est, populorum, qui causam justissimam armis tuiti sunt, *Bohemorum*, *Helvetiorum*, *Germanorum*, virtutes et laudes. Et Vos, ab antiqua *Batavorum* stirpe oriundi, O Majores nostri! Vos, qui illius patriae Patre, GUILIELMI *primi*, auspicio, carissima quaeque periculis objectare deque fortuna et capite dimicare, quam PHILIPPI, jura civilia et sacra promiscue violantis, tyrannidem cum liberis et nepoti-

tibus ferre maluistis, hac ipsa in urbe, hac ipsa in *Academia Lugduno-Batava*, quae sanguinis vestri pretio condita est, magnanimitatis et fortitudinis vestrae monimentum habetis aere perennius. A vobis exemplum ceperunt, qui se haud ita pridem *Europae* populis adjungebant, ut communi hoste, NAPOLEONTE, debellando, libertatem sibi recuperarent. Vestra vestigia nos quoque, novissimis in rerum angustiis, cum hominum foedifragorum agmina, ut silvarum feras, in fugam pelleremus, religiose secuti sumus, et, quo cariorem nobis CHRISTUS patriae causam fecerit, eo religiosius ad honestam pacem nobis comparandam sequemur.

Atque haec ne gloriosius praedicata videantur, ecce! mihi praesto sunt, quos appellare possim, ut orationi fidem faciant. Vos inprimis appello, Generosi Juvenes Academici! qui in rebus turbatis ultro et libenter ad arma concurristis. Ergo studiis, parentibus, caritatibus omnibus valedicebatis, ut ancipitem belli fortunam periclitaremini. Rerum necessariarum inopiam, frigora aestusque solis, labores atque aerumnas militares potiora habebatis, quam vitam jucundam, securam, *Minervae* donis et *Musarum* voluptatibus illustratam. Una vobis acies in oculis erat, ut si vobis, quod BRUTO apud *Philippos* accidisse ferunt, fatalem instare diem portentum esset, vos ne sic quidem moraturos vel tergiversaturos fuisse opiner. Quam laudabiliter vos adversus hostem gesseritis et quam bene ceterum meriti sitis, nunc praeterire convenit. Sed quid est illud, quid est, quod vos ita fecerit animatos? Ad vos loquor, vos interrogo, Juvenes praeclari! quotquot militiam, non levitate juvenili moti, neque aviditate gloriae impulsi capessivistis, sed laboranti patriae, tanquam communi matri, pietate vestra succurrere voluistis. Quid hanc pietatem vobis indidit metumque adeo removit, ut, ad *Martis* opera insueti, pars corpore haud ita validi, fidenter in castra progrederemini? Quis prudens vobis genius adstitit, qui, serpente mali contagione, vos ab atrocitate absterreret vestrosque mores ad omnem honestatem regeret? Quomodo tum, cum vestro in BEEKMANNO jacente videbatis, quantum vobis immineret periculi, quomodo tum ad velitum pugnam in fronte exercitus renovandam promti propensique mansistis? Cur postea, unanimi consensu, a rege petiistis, ne vestrum aliqui, cum omnes se pares praestitissent, laudis insignibus decorarentur? Unde tandem doloris

ris solatium vobis quaesivistis, cum, hostibus ad incitas prope redactis, dura vobis imponebatur recedendi necessitas, priusquam, victoria consummata, belli flamma exstingueretur? Nimirum haec Religionis Christianae erat efficacitas, ut in animis vestris, nunc patriae liberandae ardorem accenderet; nunc mansuetudinis et misericordiae sensus excitaret; nunc servandae concordiae et amicitiae studia aleret; nunc Dei injuriarum vindicis atque innocentiae adjutoris foveret fiduciam; nunc vitae melioris, si bene vobis conscii in proelio concideretis, spem et exspectationem faceret. Macti, O Juvenes! hac Religionis Christianae, tanquam ducis fidelissimae, tutela este, quotquot, cum praesentissimum deflectendi et labendi periculum erat, praesidio ejus in virtute et pietate perstitistis! Nunc vero, per studiorum curriculum eandem ducem sequentes, sicut in bello vituperationes effugere scivistis, ita domi ostendite, quantum inter mores civium Academicorum vere Christianorum et mores intersit eorum, qui, sive coecae superstitioni emancipati, seu omnia divina aspernati, ut TACITI verbis utar, *ad imperium evertendum libertatem praeferunt, si perverterint, libertatem ipsam aggrediuntur.*

---

*)

Jam unum mihi restat, ut Academiae magistratum tibi tradam, Cl. REINWARDTE, Vir doctrinis, virtutibus meritisque conspicue! tibique annum exoptem Academicum, omnis boni foecundum, et cujus ante exitum dici possit, quod ego dicere non possum, pacem *Europae* certam, huic patriae nostrae honestam restitutam esse. O utinam hoc in orbis terrarum amplitudine locus aliquis esset, ubi congressum haberent, non regum aut imperatorum legati, quid agere oporteat sollicit et incerti, sed reges et imperatores ipsi, et civitatum principes, et vero seditionum illi et bellorum, qui in populis dominantur, concitatores, locus, inquam, quo nobis veterum *Batavorum* nepotibus aditus quoque pateret; hunc profecto, Rege praeëunte et comitante universo populo, adiremus omnes, una voce declararemus, nihil

*) Hoc loco omissa et *Annalibus* hujus anni servata sunt, quae ad res Academicas et certamen literarium pertinent: sed sequitur peroratio.

hil aliud nos poscere quam pacem; pacem peteremus, aut si opus esset, flagitaremus et, quae duriora essent, pectora precibus nostris quasi tunderemus, donec tandem emollirentur et flecterentur. Aut si qui prorsus flecti nollent, oculos converteremus in coelos atque Omnipotentem hujus mundi Rectorem fatigaremus, ut, quod nobis negarent mortales, ab illo nobis daretur. Sed quorsum me hominem Christianum rapit animi fervor? Tu quippe votis et supplicationibus nostris non fatigandus es, Deus O. M! Immo benignior nobis per CHRISTUM Pater es, quam qui nostrum se ipse maxime amat! Tu hunc annum *Europae* turbatae, et afflictae patriae, et Regi curis oppresso, et Academiae civibus in bellum profectis, et ipsi Academiae, et mihi Rectori, supra quam dici potest, ope tua adfuisti. Itaque tibi, gratiis de tantorum benificiorum copia ex animo actis, omnia, quae nobis curae sunt, pie et fidenter commendamus. Ceterum nos molesta quaevis, et vel belli, si evitari nequeat, mala et incommoda patienter feremus, hac spe et solatio erecti, quo efficaciorem Tua Providentia Religionem Christianam reddiderit, eo meliora deinceps et pacatiora tempora liberis nostris et nepotibus adventura esse.

D I X I.